

Divinâ Favente & Dirigente gratiâ, 2

S. 2

DISPUTATIO,

QUÆSTIONUM
NONULLARUM LO-
GICARUM SCITU APPRIME
necessariarum explicationem continens.

QUAM

In illustri ac Regiâ Ubsaliensi Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

M. LAURENTII STIG-
SELII SS. THEOLOGIÆ STU-
diosi, & in dictâ Acad. amplifs. Fac.
Phil. Adjuncti.

Publicè examinandam proponit,


SAMUEL PET. DRYSENIUS
GOTHUS.

Ad diem 19. Maji in Auditorio majori, horis à 6. matutinis.

More hominum fit, ut tantùm quisque probet, quantum
se assequi posse confidit. Erasm. in lib. de Meth. Theol.

UBSALIÆ,

Excudebat ESCHILLUS MATTHIÆ, Anno
M. DC. XXVII.





QUESTIO PRIMA.



N vulgata illa accidentis Definitio Porphyriana (συμβεβηκός δ' ἐστὶν ὁ γίνεσθαι καὶ ἀπογίνεσθαι χωρὶς τῆς τῆ ὑποκειμένης φθορῆς) sit bona?

Supponendum est pro quæstionis solutione, Accidentis vocabulum in duabus potissimum significationibus à Philosophis usurpari. 1. Prout Substantiæ opponitur; 2. Prout opponitur Proprio. Priori modo sumptum *Prædicamentale*: Posteriori verò *Prædicabile* appellari solet à Peripateticis. Estque posterior hæc significatio in tradita definitione à Porphyrio accepta. II. Tenendum est, duobus posse separationem unius ab alio, fieri modis. 1. *Cogitatione tantum*. 2. *Realiter*, idque adhuc dupliciter. Vél enim potest id fieri Naturaliter, seu virtute causarum naturalium: vel Supernaturaliter tantum, virtute sc. divinâ. His ita præmissis, respondemus Definitionem illam minùs rectè esse traditam. Nam illud ñ abesse, seu separari à subjecto citra ejusdem interitum, vel intelligitur de separatione κατ' ἰδιότητα, seu mentali, vel κατ' ἀλήθειαν, seu reali. Si illud, est definito latior: si verò hoc: aut sermo est de vi Naturæ, & tum est strictior, aut de potentia infinitâ Dei, & sic iterum est latior.

I.
2.
3.

QUESTIO SECUNDA.

An argumenta obijcere è saniori Philosophia petita,

tita, in Disputatione Theologica unquam licitum sit, an verò prorsus impium & inconveniens?

1. Non est animus in præsentia quæstionem hanc tractare in singulas partes digestam, nec de aliis magis generalibus, & huic affinibus (veluti; *An, & quomodo Philosophia cognitio, utilis atq; necessaria sit, ad accuratam Theologia perceptionem & tractationem? Item: An firma unquam sit argumentatio, ab effatis Philosophicis, ad quæstiones purè Theologicas concludendas? &c.*) aliquem suscipere sermonem: id enim neq; præsentis fert instituti temporisque ratio: neque adeò commodè (fortassis) à nobis præstari potest, cum procul dubio, hominem requirat, majori & eruditione & autoritate præditum, qui quæstiones ejusmodi ad vivum (quod dici solet) resicaret. De eo saltem agemus breviter, dilucidè tamen, (aliquot enumerando casus) an proponere argumentum Philosophicum in Disputatione Theologica licitum sit & conveniens? Non enim dubium est, quin & inventi sint, & inveniri possint, quidam adeò *ἄφιλόσοφοι*, ut, cum rerum Philosophicarum prorsus imperiti sint ipsi, ea omnia pro incantatorum habeant præstigiis (liceat mihi sic cum Gesnero loqui,) quæ ex interioribus Philosophiæ recessibus depromuntur, & propterea, si cōtingat eos in disputatione Theologica scriptâ, vel aliàs vivâ voce prolatâ, (ad utrumque enim nos hic respicimus) argumentum invenire Philosophicum, continuò authorem damnant capitis, imò parum abest, quin ipsi adjudicent gehennæ.
- 2.

3. Nos igitur ad quæstionem respondemus 1. *Summatim. Ut in Disputatione Theologica rationes objicere Philosophicas non semper licet, ita neq; id semper illicitum est, & in-*
conve.

conueniens. 2. Magis distinctè, certis quibusdam asser-
tionibus; quibus tamen permittere visum est. 1. Di-
stinctionem inter duo disputationum Theologicarum
genera. Quædam enim disputationes sunt *Seria* cum
ipsis aduersariis institutæ. Quædam verò *Scholastica*
atque umbratiles, quæ seriarum quasi quædam utilissi-
ma sunt progymnasmata, & præludia.

2. Distinctionem eorum, quæ in aliqua dispu- 4.
tatione Theologica asseruntur. Ea enim 1. vel sunt ex-
pressa Scriptura dicta. 2. vel per infallibilem consequentiam
ex Scripturis sufficienter deducta. 3. vel partim ex Scriptu-
ra, partim verò ex Philosophia conclusa. 4. vel talia, quæ non
nisi ex sola Philosophia satis possunt probari. 5. vel deniq; falsa
& sophistica, quæ neq; ex S. Scriptura, neq; è saniori Philosophia
rectè colligi possunt. &c.

3. Diversitatem eorum qui argumenta propo- 5.
nunt. Hi enim 1. vel sunt docti, vel indocti. 2. vel
hoc agunt seriò, vel saltem exercitii & experimenti
causâ, &c.

HINC COLLIGERE IUVAT.

I. In disputatione Theologicâ umbratili seu scholasticâ,
si contra Theſin Theologicam quæ evidentè & sufficienter ex
solâ Scripturâ probari potest, objecerit quis argumentum ex Phi-
losophia petitum, non est continuò reprehendendus, & odiosè
exagitandus. Etenim potest id facere 1. eo saltem fine, 7.
ut vel ipse, vel alii, modum addiscant ad talia rectè re-
spondendi, dum Theologicè est disputandum. 2. Ut
Antagonistam seu Respondentem exerceat, eumque
cautiorem reddat, quò si illi aliquando cum seriis ad-
uersariis (illicito hoc stratagemate parum piè utenti-
bus) fuerit congregiendum, in ejusmodi argumen-
tis

eis assumendis & solvendis, vel etiam vitandis, magis futurus sit circumspectus.

8. Deinde licitum est opponenti argumenta producere Adversariorum (quorum non pauca ex Philosophia sunt petita) ac commodam ad illa expectare responſionem.

9. Atq; sic, in eiusmodi casibus, nullam (ut constat) in partem peccat, qui rationes objicit Philosophicas, modò id aliàs non faciat, vel immodestè, vel seriò, atque adedò eo, quo Adversarii nostri Photiniani & Calviniani animo. Sed hoc, non in Philosophicis tantùm, verùm etiam Theologicis argumentis proponendis, observari debet, unde non est hic peculiare.

10. II. *In disputatione Theologicâ seriâ Thesin aliquam claris & apertis S. Scripturae testimoniis sufficienter confirmatam, argumentis oppugnare Philosophicis, non modò inconveniens, sed etiam per se impium est.*

11. Cum enim certissima fidei norma sit Scriptura, divinitus inspirata, primumque omnium myſteriorum sacrorum *σπιχέιον* ipse per Scripturas loquens Spiritus Sanctus, planum est, nò minus *ἀσεβώς*, quam *ἀπίως* sentire illos, qui Christianæ religionis dogmata, firmissimis S. Scripturæ fundamentis innixa, & omnem rationis humanæ captum exuperantia, non verentur sub Philosophiæ limam revocare, ejusque axiomata supremum credendorum judicem constituere. Audiant hi gravissimum D. August. judicium Tom. 6. de util. cred. cap. 11. Christianos volentes fidei firmitatem accipere, ad nullam rem confugere decet, quam ad Sacram Scripturam. Sed hanc assertionem relinquimus ex professo explicandam D. D. Theologis.

12. III. *In disputatione Theologicâ, si ea statuantur à Respon-*

4
spondente, quæ, nisi in auxilium vocarit Philosophiam, suffi-
cienter probare non potest, in arbitrio Opponentis est, argumen-
ta adducere è certioribus Philosophia principis petita, idque
tunc potissimum, quando effata Philosophica, quibus
Theſews probatio innititur, adeò sunt incerta, ut quæ
illis contradicunt, inveniuntur verisimiliora. Tunc
enim monere poterit Respondentem, ut assertionis
suæ agnoscat incertitudinem; quod si noluerit, cogi
potest argumentis. 13.

IV. Si contingat Respondentem in disputatione Theol. 14.
ex Philosophiâ adferre & statuere ea, quæ falsa sunt & sophisti-
ca, non perperam fecerit Opponens, si Philosophica veritatis bo-
stem, armis invaserit Philosophicis.

Facilè verò, & variis modis contingere potest, ut 15.
Respondens, (is præsertim, qui ad accuratam rerum
Philosophicarum cognitionem non est provectus,) fal-
sa illa & sophistica adferat, eaque adferendo halluci-
netur. Nam 1. Fieri potest ut interdum argumentum
Philosophicum ab Opponente allatum, assumat, atque 16.
ad illud ex Philosophia etiam (quò omni ex parte ad-
versario satisfiat) responsionem det falsam & absur-
dam, eamque absurdioribus conetur (ne victas alteri
det manus) defensitare rationibus. 2. Spontè dispu- 17.
tationi Theol. inferre & approbare potest opiniones
Philosophicas, vel falsas & sophisticas, vel per se veras
quidem, perperam tamen intellectas & explicatas, hoc
est depravatas, easque sive in suis Theſibus, sive The-
sium explicationibus, ad causam aliquam Theologi-
cam confirmandam, vel declarandam & defenden-
dam, inconvenienter ac ἀπαιδέτως transferre.

Hic non parùm constat posse, (imò debere) Op- 18.
ponentem in Philosophorum Lycæis rectius institu-
tum,

19. tum, Respondentem admonere, ut errorem modestè agnoscat. Si verò is in sententia falsâ morosè perstiterit, eamque veram esse, pleno verborum strepitu clamaverit; nihil reprehensione dignum fecerit Opponens, si eum ad errorem agnoscendum & corrigendû, argumentis impulerit Philosophicis, ut discat tandem & Philosophiam ignem esse, quem non manibus, sed forcipe oporteat contrectare, neve causa Theologica sententiis Philosophicis, vel falsis, vel adulteratis pessimèque accommodatis, confirmata & declarata, ipsa quoque depravetur, magisque suspecta reddatur ipsius orthodoxæ veritatis osoribus, quorum pertinacia hac
20. ratione cõfirmatur ampliùs. Omnino enim hic quoq; locum habet illud, quod de re simili gravissimè (ut solet) monuit perspicacissimus ille Theologus D. Chemnitius in Loco de Deo pag. (mihi) 104. fac. 2. Quando sine iudicio & delectu congeruntur peregrinæ & dissimiles sententiæ, adversarii sanæ doctrinæ, non tantùm pertinaciores redduntur; sed simplicium etiam conscientiarum perturbantur. Item illud Arist. ab eodem Chemn. ibidem citatum. Sæpè contingit, ut res per se certa, argumentando reddatur incertior.

21. Ex his non difficile est conjicere, quænam sententia de casibus reliquis sit ferenda, quemadmodum etiam quomodo disceptanda sit sequens controversia.

QUESTIO TERTIA.

Utrum Respondens in Disputatione Theologicâ teneatur ad argumenta Philosophica respondere, an non?

- I. Non pauci simpliciter negant: ex dictis tamen patet, quoddam distinctionis temperamentum adhibendum

bendum esse. Nam si ratio Philosophica eo, quo in af-
sertione 1. & 2. dictum est modo objiciatur, planum, 2.
videtur, absq; ulla hæsitacione tenendam esse omnium
ferè saniorum Philosophorū, & Orthodoxorum Theo-
logorum sententiam, quam D. Gerhard. in Locis ali-
quoties repetit & in culcat, his verbis: *Ubi dogmatis ali-*
cujus veritas, ex immotis Scripturae fundamentis, firmiter de-
monstrata fuerit, nullis rationibus Philosophicis, quantumvis
speciosis, ab eâ nos deduci patiamur. pag. 157. *Item, Si veritas*
alicujus dogmatis in propriis & perspicuis Scripturarum locis,
confirmata extat, nō sunt audienda contra eam argumenta Phi-
losophica, quantumvis speciosa & plausibilia. p. 381. D. Chem. 3.
in Loc. de Deo pag. (mihi) 73. *ait ejusmodi argutias nihil*
admodum remorari posse pium lectorem, qui illud Rom. 9. 20.
benè didicit: Atqui, ô homo, tu quis es, qui ex adverso
respondes Deo? Loc. de Causa Pecc. pag. 174. Memine-
rimus quando simplex veritas, intricatis subtilitatibus turba-
tur, retundendas magis, quam solvendas esse objectiones. 4.
Origenes cont. Cels. A. Meliori conditione (ait) existima-
rem, si quis Celsi dicta, ut vana & vilia contempserit,
ut nihil ducat his respondendum. August. Tom. 10. Serm 174.
Si argumenta Philosophorum difficile solvimus, illud quod de-
monstratum est. in Domino, sine difficultate fidei teneamus. &c.

Certum ergo est Respondentem in casu tali, nul- 5.
lâ necessitate posse astringi, ad dandam aliquam objectionū
Philosophicarum solutionem directam; Interim tamen, quia
constat sanioris Philosophiæ effata vera, rectè intelle-
cta & explicata, nunquam per se contradicere veris
conclusionibus Theologicis, multum sanè ad uberioré
& pleniorém Hæreticorum confutationem atq; con-
fusionem momenti habere existimandum est, si omni-
bus (tam Philosophicis, ex quibus solis sapè triumphum

decernunt sibi, quàm Theologicis) illos spoliemus armis, imò proprio jugulemus gladio, quod tum demum recipi præstamus, cum argumenta eorum Philosophica, verò ac genuino axiomatum monstrato sensu, tanquam à stirpe revellimus.

6. Hinc omnibus ferè doctissimis Theologis in more positum esse videmus, ut ostensâ è codice sacro argumenti, ex detortis Philosophiæ axiomatibus deducti, vanitate, *ἐκ τῆς ἁγίας*, non nihil ex rectâ ratione adducant, pro argumenti Philosophici solutione directâ. B. August. lib. 1. Gen. ad lit. cap. 21. *Hoc indubitanter tenendum est, quicquid sapientes hujus mundi de natura rerum veraciter demonstrare potuerunt, ostendamus literis nostris contrarium non esse.* Origenes Loco supra alleg limitatione addit, dicens: sed cum infirmiores sint in Ecclesia, quos Paulus suspiciendos esse commonefacit, *non abs re fuerit, deliri hominis ineptias refutare, &c.* Et observatione dignum est, dexterrimum Theologum D. Chemnicium, ut ut is in vocibus & rationibus Philosophicis assumendis atq; dissolvendis sit circumspectus, sæpè tamè objectionem non dimittere Philosophicam, sine ullâ solutione ac explicatione directâ, ex ipsdem fundamentis petita. Inspiciatur (præter alios) Locus de Causa Peccati: Contingentia & Necessitate, Libero arbitrio, Fide, &c. Eandemq; respondendi rationem ferè doctissimi quiq; ex recentioribus Theologis, veluti certatim observant, scriptisq; approbant, (videatur præter alios Menzer. cont. Croc. Calv. & Meisn. in Præcog. Theol.) idq; nonnulli adeò solutè, ut verendum sit, ne nimium incipiât illi indulgere. Hic n. si non alios, certè rerum Philosophicarum minus peritos, valdè parcos & cautos esse convenit, ne in aggrediendis Philosophicis sint audaces, cum facillimè fieri possit, ut propriâ culpâ contrahant
- 7.
- 8.
- 9.
- 10.

hant damnum. Multò illis est tutius, domo Scripturæ pedem nunquam efferre, & objectiones Philoſophicas redundere ſolâ inſtantiâ, opponendo ſc. clara Scripturæ dicta; *ſolutionis verò directæ, tempus expectare à Domino*, qui eam etiam, ſaniorum & doctorum Philoſophorum operâ, faciliè ſubminiſtrabit veritatis amatoribus.

II. Sin autem in tali obſiciatur caſu, qualè nobis deſcribit aſſertio 3. & 4. & c. haud faciliè eſt videre, quomodo poſſit Reſpondens directam argumèti Philoſophici ſolutionem juſtè ſuſpendere, & pugnam Philoſophicam de-

tractare, ſi modò velit τὴν θεοῦ φυλάττειν, & errorem non agnoſcere; cum ipſemet in caufa ſit (Philoſophica perperam intelligendo & applicando) cur illi ejuſmodi onus imponatur. Nec multùm juvat cum illis facere, qui licet noverint ſe eſſe in Philoſophia ἀλιγοφύλλως, non ve-

rentur tñ. in tractatibus Theologicis arripere ex Philoſophia effata quævis, iisque malè perceptis, & ſapè abſq; iudicio ullo ſux cauſæ accommodatis, aſſertiones Theologicas confirmare, declarare, illuſtrare: argumèta quoq; Philoſophica (ſi quæ obſiciantur) audacter aſſumere, atq; ad ea ex accuratiori etiam Philoſophiâ variè, copioſè & liberè (adde etiam vitioſè) reſpondere.

Quando a. res eò devenit, ut ab aliis notati erroris que conviſti ſint, continuo animù in partem cõtrariam flectere, quævis in ad verſariù acerba dicere, clamare eum intolerabili petulantia committere μεταβάσιν εἰς ἄλλο γένος, rationis decempedâ res divinas (tali n. titulo exorant errores ſuos, veræ Philoſophiæ contrarios, & toti Scripturæ ignotos: calidè) temerario auſu metiri velle.

Sed nos ſequens ex dictis educimus & notamus
περίομα: Reſpondens in Diſſertatione Theologicâ, obſectiones Philoſophicas, aut rectè & verè ſolvat, aut Philoſophicè non attinget.

Quæ-

QUESTIO QUARTO.

An Respondens, vel Oppones, teneatur omnium, qua in disputatione adfert & statuit, probationem dare, si aduersarius eam postulaverit?

1. Multi simpliciter affirmant, illudq; tritum pro se militare putant: *Quod sine ratione asseritur, id eadem, quæ adfertur, facilitate rejicitur.*

2. Sed hi non vident infinitam, & Pyrrhonicã se hoc modo, approbare licentiã omnia, pro arbitrio vocandi in dubiũ. Certi ergo constituendi sunt limites, extra quos in disputationibus, urgendo probationes, non licebit vagari. Sic ergo sine probatione admittenda sunt. 1. In quacunq; disputatione, 1. *Principia prima & verissima.* 2. *Ea, qua omnium sensibus sunt obvia,* ut E. G. Ignem esse calidum. &c. 11. *In disputatione specialem & determinatam materiam ventilante, vera effata omnia,* quæ in dicta materia, ex professõ non sunt tractanda, sed aliundè assumenda, præsertim id urgente Antagonistã. Omnino enim qui secus faciunt, sæpissimè datã operã malitiosè impediunt, ne materia Disputationi propositæ subjecta, sufficienter excutiat, ipsaq; veritas de rebus in illa contentis investigetur ac manifestetur. Omne n. tempus, quod illius materiæ evolutioni tribuendum esset, impendunt in discussionibus eorum, quæ alibi essent discutienda, & ex quibus concessis pulchrè ac utiliter proposita controversia disceptari posset. Nimirũ eos imitantur, qui omne studium eò convertunt, ut sophisticen exercere possint, & optatam disputationis utilitatẽ extinguere.

6. *Hic tamen non dissimulamus, excipiendum esse illud disputationis genus, quod Philosophus πειραστικὴν appellat. Id enim, cum ad alicujus explorandam in aliqua facultate sciẽtiã instituat, majori gaudet libertate.*

SOLI DEO GLORIA.